



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi sancti Quintini Belvacensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ne pro consequenda benedictione vel installatione Abbatisse monasterij vestri, qua benedicenda pro tempore fuerit, consecrationibus altarum vel Ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento diocesanus Episcopus vel Archidiaconus loci sub obtentu consuetudinis vel quolibet modo alio quicquam exigere vel extorquere presument; sed hæc omnia gratis & sine pravitate qualibet vobis impendant. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum ut in alia per totum.

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Quinctini Belvacensis.

I Vltis petentium &c. Cum igitur, sicut ex parte vestra nostro est apostolatui referatum, à felicis recordationis Alexandro & Clemente Romanis Pontificibus vestro monasterio sit indultum ut obeunte ipsius loci Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Deum & beati Augustini regulam provideant eligendum, & inter vos ac venerabilem fratrem nostrum Belvacensem Episcopum super possessione electionis Abbatis in monasterio vestro dudum quæstione suborta, & per dilectos filios Abbatem de Briouel Cisterciensis ordinis, M. Præpositum Remensem, R. Meldensem Decanum ex delegatione dilecti filij nostri Gualæ tituli sancti Martini Presbyteri Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati de voluntate ipsius Episcopi taliter extiterit causa ipsa sopita, ut eligendi Abbatem plenam habeatis & liberam facultatem, petita tamen prius à Belvacensi Episcopo licentia eligendi, nos vestris precibus inclinati, quod per eosdem iudices super hoc est cum Episcopi memorati assensu deliberatione provida diffinitum, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus; inhibentes ne quis contra diffinitionem huiusmodi super Abbatis electione vos audeat molestare. Nulli ergo &c. confirmationis & inhibitionis &c. usque incursum. Datum Laterani 1 v. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISCOPO BRIXINENSI,
& Aquilegenſi Decano, & magistro
Hug. Canonico Ratisponenſi.

Diligenter auditis & perspicaciter intellectis quæ à dilecto filio procuratore venerabilis fratris nostri Salzburgenſis Archiepiscopi ex parte una & procura-

to Gurcensis Capituli ex parte altera super excommunicationis sententia quam idem Archiepiscopus in ipsum Capitulum promulgavit fuere proposita coram nobis, sic duximus providendum, ut cum à tribus ex majoribus ipsius Ecclesiæ Canonice fuerit requisitus, infra quindecim dies ipsum Capitulum absolvi faciat ad cautelam, mitens aliquem ad Gurcensem Ecclesiam qui recepta secundum formam Ecclesiæ iuratoria cautione quod nostro vel vestro mandato parebit, eidem Capitulo beneficium absolutionis impendat; exceptis Præposito & V. & F. Canonice, qui de mandato nostro fuerunt apud sedem apostolicam absoluti; ac deinde coram vobis, quibus hoc negotium duximus committendum, tam de principali causa quam de ipsa sententia necnon & de Ecclesia sancti Laurentij, qua post commissionem factam à nobis & post appellationem ad nos interpositam spoliati fuerunt per nuntios ipsius Archiepiscopi, cognoscatur, & si de partium voluntate processerit, sine canonico terminetur; alioquin negotium ipsum sufficienter instructum ad nostrum remittatur examen, præfixo partibus termino competenti quo nostro se conspectui repræsentent iustam auctore Deo sententiam recepturam; quod si infra præscriptum tempus Archiepiscopus ipse non fecerit illos absolvi, per dilectum filium Iunenſem Præpositum Aquilegenſis diocesis eos absolvi jubemus. Ceterum interrogatus in iudicio coram nobis procurator Gurcensis Episcopi utrum idem Episcopus pro excommunicato se haberet, respondit quod revera Salzburgenſis Archiepiscopus excommunicavit Episcopum & Capitulum quarta feria, & post tertiam vel quartam diem dedit ipsi licentiam audiendi divina & ut divinis officiis interesset, quia ipse propter debilitatem manus celebrare non potest, & ex tunc divina sibi fecit officia celebrari, & exercuit ea quæ consueverat exercere. Nos autem interloquendo respondimus quod si res taliter se haberet, Episcopus idem pro absoluto esset habendus, nisi postea excommunicationis sententiam excepisset. Testes autem qui fuerint nominati &c. usque perhibere, nullis literis obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani 11. Non. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Epil. 47.
De electione
Abbatis.

47.
noialb
tante
tatione

46.
el erit
o bene
Abbe

Epil. 48.
De causa Capituli
Gurcensis.
Pala lib. 10.
pp. 54. & lib.
11. pp. 99.